



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitulum VI. Cùm liberum

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

## SUMMARIUM.

Quando de bonis ingredientis monasterium debeatur Ecclesie parochiali portio Canonica?

Notandum primum. Si quis moriturus professionem faciat in Religione, professio valet, dummodo annum continuum steterit in novitiatu, juxta Trident. *Sess. 25. c. 15. de regularibus*, tamen si toto tempore novitiatus fuerit lecto defixus, teste *Nav. lib. 3. consilio 32. n. 5. de regularibus. Suarez tom. 3. de religione lib. 5. c. 13. n. 8.*

Notandum secundum. Qui Religionem ingressuri, aut professuri sunt, liberè de bonis suis disponere possunt, donando, quibus volunt, ut in hoc c. dicitur. Sin autem non disponendo profiteantur, ac veluti intellectati moriantur, succedit monasterium, si capax sit. *aut bent. ingressi C. de SS. Ecclesijs. c. quia 7. causa 19. q. 2.*

Notandum tertium. Ex ijs, quæ non instante morte, sed sanitatis tempore Novitij aut Religionem ingressuri, monasterio donant, non debetur Ecclesie parochiali Canonica portio. Ita etiam docet *Gl. finalis in c. 1. de statu monachorum*. Adde, cum secundum privilegia & consuetudines Religionum Novitij privilegijs gaudeant eandem Religionum, & in monasterio soleant sepeliri, teste *Sanchez lib. 6. moralium c. 14. n. 4.* ideò Canonicam portionem parochiali Ecclesie non deberi decedentibus Novitijs in Religione, nisi ostendatur, eos in fraudem ingressos, non verò profecti animo, sed ut Ecclesijs nihil relinquere debeant; quæ de re *Barbosa hic n. 3. & 4. Sylv. v. Sepultura n. 8. causa 5.*

## CAPITVLVM V.

## Ex parte.

## PARAPHRASIS.

Si in Ecclesia v. g. Regularium parochianus sepultus sit, cum id ab Ecclesiastica traditione alienum sit, corpus Ecclesie parochiali restitui debet,

## SUMMARIUM.

Parochia habet jus sepulture.

Notandum. Jus Sepulture ad parochiam pertinet, *Clement. unica §. verum hoc tit. & c. 1. causa 11. q. 1.* & tradit *Innoc. in c. 1. hoc tit.* ideò ea erga parochianos suos intentionem fundatam habet, ut sibi corpus tradi debeat ad sepeliendum, nisi altera Ecclesia, v. g. regularis, ostendat causam specialem, ob quam ibi potius sepeliri debeat, videlicet, quia defunctus in ea Sepulturam elegit; aut quia majorum sepulchrum inibi est.

CAPITVLVM VI.  
Cum liberum.

## PARAPHRASIS.

Cum quidam Monachi cadaver cuiusdam mulieris violenter raptum in sua Ecclesia sepelivissent, mandat Pontifex illud Parochie restitui, unà cum illis, quæ occasione sepulture à Monachis fuerint percepta.

## SUMMARIUM.

Notandum. Regulares plerique, nominatim Prædicatores & Minores, privilegium habent in Ecclesijs suis liberè sepeliendi parochianos, qui apud ipsos Sepulturam elegerunt, dummodo quartam canonicam dent parochiali Ecclesie. Habetur latius in *cir. Clement. & videri potest Sylv. v. Sepultura q. 4.* ubi is admonet, quòd Religiosi non teneantur permittere, ut funus prius ducatur ad Ecclesiam parochialem, sicuti etiam colligitur ex *c. in nostram 10. hoc tit.* Quare si presbyteri moniti deferre nolint ad Ecclesiam regularem, ipsi met regulares levare, & deferre possunt, cum alioquin non haberent jus sepeliendi liberè; deinde si parochus corpus ad Ecclesiam suam detulit, quòd regulares cum processione intrare possint, & auferre sine ullius contradictione, nam concessio sine, & quidem liberè; id est, sine ullius contradictione,

Uu ; aut

aut impedimento, censetur etiam concessa media necessaria ad finem, ita ut nemo impediatur. *argum. L. 3. §. 3. de servitutibus pradiorum rusticorum. Qui habet haustum, id est, jus aquam hauriendi ex puteo, iter quoque habere videtur ad hauriendum; & paulò post, in jure hauriendi inesse & aditum. Consentit Lex 2. ff. de jurisdictione omnium judicum.*

## CAPITULUM VII.

## De uxore.

## PARAPHRASIS.

Sicuti maritus, ita non minùs uxor liberam sibi eligendæ Sepulturæ potestatem habet, quia Sepulturæ electio, quæ fit ab uxore, in illud tempus reuertitur, & secundùm eum statum, in quo mulier soluta est à lege viri.

## SUMMARIUM.

*Dispositio iudicatur valida, vel invalida secundùm tempus, in quod ejus effectus conferitur.*

**N**Otandum. Dispositio iudicatur valida, vel invalida secundùm tempus, in quod ejus effectus conferitur. Ita etiam docent DD. in *L. in tempus 62. ff. de hereditibus institutendis, & lib. 5. tra. 10. p. 2. c. 7. n. 4.* docui, quòd valet dispositio, quæ fit in tempore inhabili, si effectus conferatur in tempus habile; & vice versâ non valet dispositio, quæ fit tempore habili, si effectus conferatur in tempus inhabile, *L. 4. C. de donationibus ante nuptias.* ubi dicitur, non valere donationem factam sponsæ, si ejus effectus conferatur in tempus matrimonij, ita ut tunc effectum sortiatur. Valet tamen donatio ante vel post nuptias facta sponsæ, aut conjugii, si ejus effectus conferatur in tempus matrimonij soluti per mortem. *L. cum hic §. 1. & §. si sponsus ff. de donatione inter virum & uxorem.* Vide, quæ

docui *lib. 3. tra. 4. c. 12. q. 2. & quæ dixi lib. 4. tra. 4. c. 7. assertione 2. & 6.*

## CAPITULUM VIII.

## Cum super.

## PARAPHRASIS.

Si Cathedralis Ecclesiæ parochianus in testamento sibi Ecclesiæ eligat sepulturam, quæ canonica ex pijs in testamento relicta debetur Cathedrali.

## SUMMARIUM.

*Ecclesiæ Cathedrali, si sit Parochianus, debetur quarta Canonica ex mortuario.*

**N**Otandum. Ecclesiæ Cathedralis quandoque etiam est parochialis, & tunc debetur ei quarta canonica ex mortuario relicto Ecclesiæ, in qua parochianus sepelitur, ita tamen, ut ex eisdem relictis etiam Episcopo sua portio tribuatur, *requisisti 15. de testamentis, & iterum portio, seu quarta quarta, quæ pervenit ad Ecclesiæ Cathedralis tanquam parochianæ, idque propter unionem, quæ est inter Cathedralis & Episcopum; quam eod. tit. 80. aurei, Episcopus habebit 20. Ecclesiæ Cathedralis §.* Ita docet *Joan. Andree 2. Abb. hic n. 8. & in c. requisisti in ju.*

## CAPITULUM IX.

## Certificari.

## PARAPHRASIS.

Privilegia quandoque à Sede Apostolica Clericis non parochialibus, v.g. Regularibus, conceduntur, habentia hanc clausulam *(salvâ justitiâ earum Ecclesiarum videlicet parochialium) à quibus mortuorum corpora assumuntur.* De hac clausula, quomodo intelligenda sit, diverſa Pontificum responsa prædierunt; nam alij intellexerunt, esse dimidium, alij tertium, alij